



**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

Berti, Giovanni Lorenzo

Monachii [u.a.], 1749

Caput XII. De Lege nova brevissimè pertractatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83665](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83665)

CAPUT XII.

De Lege nova brevissimè pertractatur.

SUMMARIUM.

1. An lex nova sit perfectior veteri.
2. Fiam in lege nova sunt aliqua præcepta servanda.
3. & 4. Probatur.
5. Solvuntur Objectiones.
6. Quænam præcepta Legis Evangelicæ.

7. Quomodo præcepta dicantur levia.
8. De Monogamia & Confessione Sacramentali.
9. De inhibitione repudii Uxoris.
10. Lex nova est perfectior veteri, & nunquam interitura.

1. An lex nova sit perfectior veteri.

QUONIAM facile ex dictis infertur hoc inter legem veterem ac novam interesse discrimen, quod illa istius mysteria præsignabat; fructumque uberimarum gratiarum pollicebatur; recte hanc utriusque discrepantiam explicarunt Theologi comparatione parvuli virique perfecti, aut arboris latentis in femine, ac inde germinantis, pomæque saluberrima proferentis. Hinc solvitur prima quæstio, quam de nova Divina lege Theologi instituunt, num veteri sit perfectior. Constat quippe perfectius esse quod fructum affert, quam quod illum promittit, & virum hæreditatem capeissentem, quam parvulum sub tutoribus, & actoribus constitutum. Est autem sub Evangelica lege repromissa hæreditas, unctio primum Spiritus Sancti, libertas filiorum, qua clamamus, *Abba, Pater*, deinde quod adoptionem consequitur, cæleste regnum. Atque hanc hæreditatem consecuti sunt quidem & Sancti veteris testamenti: sed dispari ratione, nam adoptionem filiorum habuerunt in spe venturi Reparatoris; gloriam vero adepti sunt jam redemptione perfecta, ne sine nobis consummarentur. At nunc adoptamur in filios gratia Sacramentis Evangelicis abunde collata; servatisque mandatis, sempiterna retributio jure quodam hæditario consequitur. Eapropter lex Evangelica Mosaicam dignitate præcedit, & quoniam hæc illius gratiâ fuit instituta tanquam symbolum futurorum; & quoniam vetus sempiternam retributionem nec expresse promittebat, nec vitâ functis largiebatur; cum lex nova utrumque præstet Divina præcepta servantibus. Illud quoque accedit, quod Lex Moysis Judæorum populo titulo quodam peculiari data est, Evangelium vero omni creaturæ Divina institutione annuntiatum. Erat præterea antiqua lex cum ob sacrificiorum multitudinem, tum ob judicialia præcepta jugum quoddam servitutis: cum Evangelica jugum suave, & onus leve dicatur & ob legalium rituum abrogationem, & ob cha-

ritatem Spiritus Sancti, unde merito nuncupatur lex amoris, & gratiæ. Atque hæc de utriusque legis discrimine, & novæ supra veterem excellentia.

Extra controversiam positum est in lege etiam nova quædam præcepta fidelibus intimari, & esse opere, animoque servanda: quidquid dixerint Lutherus, Calvinus, & Pseudoreformati alii, impie sentientes solam divinatorum promissorum fidem esse nobis unicam causam salutis. Sed hæc blasphemiam, præter ea quæ de Justificationis causa disputata sunt, omnia epicherematon genera arguunt, atque dispellunt. Principio novam legem suis constare præceptis sacri, quibus comprehenditur, libri manifesto demonstrant. Nam Mat. cap. v. 19. legitur dixisse Christum legislatorem:

Qui solverit unum de mandatis istis minimis, minimus vocabitur in regno cælorum: v. 20. Nisi abundaverit justitia vestra, &c. v. 44. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros; & alia bene multa ad reprimendam concupiscentiam, ad vitanda perjuria, ad concubitorum servandam fidem ibidem constituta narrantur. Cap. etiam xix. 17. legitur: Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Cujus generis habentur plurima Joan. xiv. 15. 21. xv. 10. 14. 17. Lucæ vi. 46. 47. 49. in Epistola Pauli ad Eph. cap. v. 8. 15. & sequentibus.

Quid vero clarius novissimâ sententiâ Judicis in eos, qui etiam si crediderint, opera misericordiæ executi non fuerint? Eam vide apud Mat. cap. xxv. 42. Aperite itaque hæreticorum insaniam ipsum legis volumen redarguit. At jure, meritoque illam damnat sacrosancta Tridentina Synodus can. 19. Sess. sextæ: *Si quis dixerit, nihil præceptum esse in Evangelio præter fidem; cetera esse indifferentia, neque præcepta, neque prohibita, sed libera: aut decem præcepta nihil pertinere ad Christianos, anathema sit.*

Augustinus, cui alii Patres consentiunt, lib. xvi. de Civit. Dei cap. 17. scribit Christianam legem prænuntiatam à Davide Psalm. cix. 2. illis verbis, *Vir-*

2. etiam in lege nova sunt aliqua præcepta servanda.

3. Probatur 1. ex S. Scriptura.

3. Probatur 2. ex Patribus.

Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion, atque hanc legem eſſe Evangelium: de qua & vaticinatus fuerat Eſaias cap. 11. 3. dicens: *De Sion exhibit lex, & verbum Domini de Jeruſalem*. Lex enim Moyſis in Sina, non in monte Sion lata eſt. *Virga* autem principis auctoritatem, & Legumlatoris mandatum haud obſcure ſignificat. Et libro proximo cap. 50. idem Auguſtinus Chriſtianæ legi ita ſubdi Reges declarat, ut venerari teneantur ſanguinem Martyrum, & perſequi falſos Deos, quorum cauſa priuſquam Chriſto nomen darent cultores veri Dei perdere ſtuderunt. Sed cæteris miſſis, libro tertio ad Bonifacium cap. 4. *Si Chriſtus*, inquit, *nobis abſulit illud graviffimum multarum obſervationum jugum nunquid propterea dicturi ſumus non ad nos pertinere quod ſcriptum eſt, ut alienum quodcunque perditum quiſquis invenerit reddat ei, qui perdidit, & alia multa ſimilia, quibus pie recteque vivere diſcitur, maximeque ipſum decalogum, qui duobus illis lapideis tabulis continetur, excepta ſabbati obſervatione carnali, quæ ſpiritualẽ ſanctificationem, quietemque ſignificat? Quis enim dicat, non debere obſervare Chriſtianos, ut uni Deo religionis obſequio ſerviat, ut idolum non colatur, ut nomen Domini non accipiatur in vanum, ut parentes honorentur, ne adulteria, homicidia, furta, falſa teſtimonia perpetrentur, ne uxor, ne omnino res ulla concupiſcatur aliena? Quis eſt tam impius, qui dicat ideo ſe iſta legis non cuſtodire præcepta, quia eſt ipſe Chriſtianus, nec ſub lege, ſed ſub gratia conſtitutus? Veritas ergo Catholica etiam Sanctorum Patrum, præſertim vero Auguſtini auctoritate corroboratur.*

4. **Confirmatur.** Externa præterea opera illius charitatis, quæ ad novam legem præcipue pertinet, ſunt exercitium, atque experimentum. Nam ſi Deus à nobis diligitur, laudandus, & glorificandus eſt publica etiam, ubi opus ſit, conſeſſione, & ſanguinis effuſione. Amore autem proximi quiſnam ardere putabitur, ſi ab eo contra Divina monita claudat viſcera miſericordiæ? E contra opera ſunt plura, quæ cum charitate Dei ac proximorum directe pugnant, à quibus proinde æquiſſimum eſt abſtinere. Alioquin lex Evangelica legem naturæ diſrumpet, nec imperfectione, omnique injuſticia carebit. Ex quo ſit ergo Evangelium lex gratiæ, lex amoris, non eximit ab obſervatione præceptorum, ſed in eam urget magis; quoniam charitas, in qua legis ſita eſt plenitudo, otioſa eſſe non

R. P. Berti Theol. Tom. IV.

potest, atque cæterarum omnium virtutum, ut Apoſt. docet in 1. ad Corinth. cap. 13. comes eſt individua.

Quæ aſſerunt Heterodoxi in hæreſis ſuæ patrociniũ, ſunt: Primo inquiunt, Obſervationes Lex Evangelica eſt lex libertatis, ſcribente Paulo ad Galat. v. 18. *Quoniam ſi ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege*. Et ad Rom. vi. 14. *Non enim ſub lege eſtis, ſed ſub gratia*. Deinde hoc eſt diſcrimen inter legem veterem, ac novam, quod illa erat lex factorum, iſta lex fidei; ut docet idem Apoſtolus cit. Epist. ad Rom. cap. 11. 27. Inſuper lex nova ſpiritualis eſt, ac per eam *Regnum Dei intra nos eſt*, quomodo legitur Luc. xvi. 21. in regno autem ſpirituali opera externa nec præcipiuntur, nec prohibentur. Poſtremo quid nomen Evangelii ſignificat, niſi bonum nuncium, ac noſtræ per Chriſti gratiam libertatis promulgationem? Quibus jam cap. 2. huius libri reſponſum eſt, ubi demonſtravimus, Evangelium appellari legem gratiæ ac libertatis, propterea quod lex ſe ipſa jubet tantum, premit, minitatur, & peccata oſtendit, non tollit: Chriſtus vero etiam gratiam largitur, & adjuvat, ut non ſit quiſque noſtrum impotens auditor legis, ſed factor. Diximus etiam ſub Evangelio liberum eſſe unumquemque à ſervitute legis prementis, & vindicantis, quoniam ſi charitate trahamur, & amore juſtitiæ, ſit mandatum Domini latum nimis: unde ait David, *Viam mandatorum tuorum cucurvi, cum dilataſti cor meum*. Spiritualis eſt autem lex Chriſtianorum, quoniam ſpiritualia promittit, & qui eam ſtudioſe implent, ſpiritu Dei aguntur, nec mandata ſolo externo opere faciunt, ſed etiam intentione animi, & rectitudine finis. Atque jure merito hæc lex humani generis redemptionem, inſtituta peccatorum remedia, adoptionem filiorum, & Chriſti hæreditatem promittens, & conferens, Evangelium, id eſt bonum nuncium, appellatur. Sed vide citato cap. 3. atque magnum Auguſtinum lib. 3. ad Bonif. poſt verba ſuperius laudata, de Sp. & lit. cap. 4. & 10. in Pſalm. 59. de Nat. & Grat. cap. 57. & contra Adimantum cap. 17.

Si quæras quænam præcepta contineat lex Evangelica: Reſpondeo continere eadem præcepta vitæ inſtituenda, ſive moralia, quæ etiam lex vetus præceperat; & quæ contra Phariſæorum licentias Chriſtus ampliori explicatione, ut ſupra vidimus in expoſitione Decalogi, ſingulis propoſuit ſervanda. Occaſione autem Evangelicæ prædicationis,

1 2 per

per quam Trinitatis mysterium, Incarnatio Verbi, ejusque mors & resurrectio, aliaque ad nostram notitiam pervenerunt, addita sunt in Evangelica lege nonnulla Fidei praecepta. Loco plurimorum sacrificiorum unum institutum est longe vetustis victimis excellentius. Sacramenta, quorum participatione Christianus populus coadunatur, septem vera Ecclesia connumerat, non omnia tamen singulis necessaria. Praeceptis accedunt consilia Evangelica: cujusmodi est facultates omnes pauperibus distribuere, ac perpetuam servare virginitatem: quorum primum habetur Matth. XIX. 21. alterum in prima ad Corinth. cap. VII. 25. Est autem differentia inter praeceptum, & consilium, quod illud necessitatem imponit, istud in optione relinquitur eligentis. Etsi vero abjiciendo consilia praeceptis quisque non peccet; fieri tamen potest, ut qui illa spernit, vel cupiditatibus noxiis immodice indulgeat, vel aeternae salutis capeSSendae occasionem pessundet: ideoque interest plurimum, ut probetur singulorum spiritus, divinaeque compleantur inspirationes: & cavendum contra, ne cuilibet spiritui adhibeamus fidem, ut non vento nequitiae circumferamur.

7.
Quomodo
Praecepta di-
cantur levia.

At si petas, quomodo fieri potest, ut in tanta divinorum praeceptorum copia, quorum aliqua gravia censentur, uti Sacramentalis Confessio, & polygamia, repudiique exosa uxoris inhibito, sit tamen leve jugum legis Christianae: Respondemus leve quidem esse pluribus ex causis. Primum si legi veteri comparatur; cum abrogata modo sint tot sacrificia, & genera holocaustorum, ablata legalis immunditia ciborum, carnalis circumcisio, & purificationum & caeremoniarum antiqua praescriptio: nec taurorum, haedorumque sit repetenda mactatio, aut ascendendum undique Jerusalem ad sacrificia, festorumque celebritatem; sed ubique locorum absque dispendio & gravamine offeratur Domino Oblatio munda. Deinde cum universa Christianorum lex ad charitatem, & dilectionem referatur, Deus autem abunde subministret spiritum bonum petentibus; cumque, ut est in Augustinianis proloquiis, omnia facilia reddat amor, ubi amor est non sit labor, aut si labor sit, ipse labor voluptate dulcescat; consequens est ut diligentibus Evangelica praecepta alae potius volantis sint existimanda, quam premens sarcina ac pondus. Legas autem oportet Charitatis ac dilectionis Praeconem maximum Augustinum, id

ferm. 22. de Verbis Apost. de Bono Viduitatis cap. 21. In Psalm. 59. & 128. De Nat. & Grat. cap. 69. aliisque in locis explanantem.

Quae autem gravia nonnullis forte videntur, ut Sacramentalis Confessio, atque monogamia, certam personarum conditionem spectant, nec alios obligant Divino jure, nisi qui propria voluntate peccarunt, aut statuerunt ducere uxorem. Et transgressoribus praeceptorum Sacramentalis Confessio gravis videri non debet: quin corrigendis, & aliqua animadversione dignis non poterat remedium praescribi salubrius. Nam confitendi necessitas peccantium cohibet invercundiam, & Sacerdotalis absolutio animis seclerum suorum conscientia prostratis summam affert cum spe veniae jucunditatem. Forma etiam iudicii, si Sacerdotis persona spectetur, si secreta peccatorum accusatio, si satisfactio exhibenda, non poterat institui facilius. Quare durissima potius lex foret, si impiis occulta iniquitate ruentibus, & misero naufragio pereuntibus tabula haec non adesset: neque lex gratiae & charitatis censenda esset, quae lineret fidelium conscientiam diuturna anxietate, & absolutionis incertitudine contabescere. Verum de his alibi, propitio Numine.

Ne de uxoris penitus taceamus, ipsa lex charitatis Christianorum consuetudinem magnopere commendat. Nam si nupram dimittas, proli parentem auferis, consanguineos afficis injuriâ, propriam intemperantiam atque acerbiteriam prodas, & carnis tuae revelas turpitudinem. Contra uxori adhærens spernis pellices, vitas adulteria, colis amicos, & legitimo thoro susceptos filios paterno amore complecteris. Ex polygamia pariter vel inter uxores similitates, vel inter natos dissidia, ac proinde tui ipsius molestia oritur, necesse est. Igitur etiam Christianorum connubiorum jura ad legem spectant amoris ac libertatis. Quod, ut Sara & Agar, Rachaelis & Lia, filiorumque ipsarum facta praeteream, arbitror etiam Gentiles naturali lumine percepisse. Etenim nullus Romanorum ante Antonium legitur habuisse duas simul uxores: imo Edicto Praetoris qui bina sponsalia eodem tempore constituta haberet, notabantur infamia. Atque hinc decreta Imperat. Valerian. & Galien. l. *Eum qui*, 18. ad l. Jul. de Adult. Dioclet. & Maximin. l. 2. C. de incest. nupt. ac postremo Justin. Novella 79. Matronas quoque Romanas polygamiae incommoda vehementissime aspernatas demonstrat festivum lepidumque figmentum

8.
De Monogamia & Confessione sacramentali.

9.
De inhibitione repudii uxoris.

tum Papyrii; de quo lib. 1. Saturn. cap. 6. Macrobius, & A. Gellius lib. x. cap. 23. N. A. Idem fuit optimum confilium Græcorum; nam cum antiquitus plures uxores ducerent, Cecrops Athenis unicam uni viro ſtatuit eſſe jungendam. Objectum idcirco Socrati à Calliſthe- ne, à Satyro Peripatetico, atque à De- metrio Phalareo, quod duas ſimul ha- beret uxores Xantippen, & Myrto, ob- ſervavit in libro de Luxu Græcorum Muſonius. Quomodo Clytæmneſtra in Agamemnonen, & Caſſandram manus violentas injecerit, quod hanc ille lecti ſociam feciſſet, & Jaſoni ob ſuperindu- ctam uxorem alteram Medea ſtruxerit interitum, narrant Antiquitates Home- ricæ. At non vacat modo per Græ- ciam, Latiumque vagari.

10. Lex nova eſt perfectior veteri, & nunquam interi-
ura. Ut ad Evangelicam legem revertatur oratio; conſtat illam eſſe veteri perfe- ctiorē & faciliorem, atque nulla ſuc- ceſſione temporum interiuram. Et quidem ipſius diuturnitatem, nam reli- quas dotes ſatis videor proſecutus, qui- dam probant ex verbis Mat. xxiv. 14. Et prædicabitur hoc Evangelium regni

in univerſo Orbe in teſtimonium omnibus gentibus: & tunc erit conſummatio. Non enim de ſolo excidio Jeruſolymita- no, ſed etiam de fine ſæculorum loqui- tur ibidem Evangeliſta. Sed hoc teſti- monio prætermiſſo, certum eſt perma- nente Sacerdotio nequaquam legem transferri: Sacerdotium autem Chriſti ſempiternum eſſe, neque perfectius eſſe ab hominibus expectandum. Quod in Episto- la Pauli ad Hebr. cap. vii. 12. 17. & 24. necnon aliis locis pluribus aperte traditur. Accedit manifeſta ratio D. Thomæ q. 106. art. 4. quam ita brevi proponam. Lex vetus pro fine habuit adventum Chriſti, auctore Apoſtolo ad Rom. x. 4. *Finis enim Legis Chriſtus*; ideoque poſt legem Moyſi venit lex gra- tiæ. At ad legem gratiæ ſola gloria re- gnumque ſanctorum conſequi poteſt, quoniam teſtamentum Chriſti nullum alium, quam ſempiternæ hæreditatis, finem habet. Societatem itaque Chri- ſtianorum ſequitur ſupernorum civium hæreditas: & ideo lex antiqua Chri- ſtum, lex Chriſti vitam æternam præ- nuntiat.

C A P U T XIII.

Pertractatur de lege humana, & primo inquiritur, quid neceſſe ſit, ut valorem habeat, atque vim obligandi.

S U M M A R I U M.

1. Quid requiratur, ut lex humana obliget.
2. 3. 4. 5. 6. & 7. Propoſitio 1ma probatur.

8. 9. 10. & 11. Propoſitio 2da probatur.
12. Uſque 19. Solvuntur Objectiones.

1. Quid requi-
ratur, ut lex
humana ob-
liget. JAM ad Leges humanas, quarum no- mine intelligimus Conſtitutiones Ec- cleſiaſticas & Civiles, noſtra con- vertitur diſputatio, Cujus initium fa- ciendum eſt ab iis, quæ ut lex humana ſit valida præter conditiones cap. 2. nu- meratas dicuntur requiri, ac primo à promulgatione. Hanc neceſſariam eſſe ſatis conſtat: nam habetur cap. *In iſtis*, diſt. 4. *Leges inſtituuntur, cum promul- gantur*; nec poteſt legiſlator obedi- entiam exigere à ſubditis, niſi iis mandata ipſius imoſceant. Conveniunt autem DD. minime neceſſarium eſſe, ut leges cuique in particulari intimentur; ſed ſatis eſſe, ſi in aliquo loco publico fue- rint promulgatæ, unde ad ſingulorum notitiam valeant pervenire. Et quan- tum ad Civiles attinet, Imperator Ju- ſtinianus in Authentica, *Ut factæ novæ Conſtitutiones*, decernit valere tantum, ex quo in commune factæ ſunt manife-

ſtæ: in provinciis autem ex quo diſcre- te per Metropoſitas palam factæ ſunt, idque poſt duos meſes. Ex quibus colligitur leges Imperiales non ſtringe- re, niſi in ſingulis provinciis fuerint promulgatæ, nec valere niſi duorum meſium dato tempore. Atque idem quantum ſaltem ad promulgationem pertinet tenendum eſſe de legibus Ec- cleſiaſticis: ita ut non obligent niſi in provinciis, in quibus fuerint ſpecialiter promulgatæ, ſentiunt complures, inter quos Natalis Alex. lib. 4. de Decalogo Regula 25. Caballutius lib. 1. Theoriæ Juris Canon. cap. 4. Juenin Diſſert. vi. cap. 3. & Girken. de legibus Q. 4. dub. 4. Iſis tamen opponitur longe major nume- rus Theologorum, atque ex noſtris Leonardus Vanroy de lege poſitiva cap. 4. q. 3. Baſilius Poncius de Ma- trim. lib. v. cap. 7. Antonius Guerrerus Tract. vi. §. 11. aliique communiter, aſſe-